DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-ANATOMICA
SISTENS
CASUM SINGULAREM
DE
HEPATIS TUBERCULIS,
CUM HYDROTHORACE, HEMIPLEGIA
ALIISQUE MORBIS COMPLICATIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
FRANCISCUS GUILELMUS VAN WERDEN.
DUSSELDORPIENSIS RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
M. MONZEL, MED. ET CHIR. DD.
R. MEISTER, MED. ET CHIR. DD.
E. LORCH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PRAECEPTORIBUS

DISCIPULI GRATIA.

Proœmium.

Inter omnes organorum abdominalium affectiones morbificas haud dubie hepatis morbi, quam saepissime occurrunt. Viri enim Cl. et antiquissimae et recentioris aetatis, magnam seriem morborum illius organi, partim ex ejus functione perturbata, partim ex ejus organisatione laesa ortorum nobis proposuerunt. Quod vero minus admiraberis, si functionem, connubium cum aliis partibus intimum et consensum ejus magnum cum organis remotis considerabis. Quamquam plurimi scriptores iique celeberrimi nostra aetate indagationibus anatomico — pathologicis, de doctrina organicorum hepatis vitiorum fusius disseruerunt, tamen multa sunt, de quorum diagnosi aegrotis viventibus nihil certi

statui potest. Inter illa memoratu dignissima sunt, hepatis tubercula, quorum quamquam haud raro sunt obvia, opere praetium erit singularem casum proponere, eo praesertim spectabilem, quod nonnulli aliorum corporis partium morbi accedebant gravissimi. Extant quidem multa exempla singulorum morborum, quos in nostra morbi historia enumeratos leges, quorum etiam accuratissimam descriptionem VV. DD. in medium protulerunt; sed nullum, ni fallor, invenimus exemplum talis morbi complicationis, qualem hac dissertatiuncula describere atque explicare studebimus. —

Eorum vero, qui hepatis tubercula observaverunt, omnium primus vocandus est Morgagni 1), qui tubercula iis similia, quae in nostra dissertatione descripturi sumus, vidisse videtur. A. Portalius 2)

---

1) Morgagni de sed. et caus. morb. Epist. XXXVI. a. 1.

2) A. Portal. observations sur la nature et traitement des maladies du foie Paris 1813. Article III. pag. 336—363. a. 1.

3) Baillie Anatomie des krankhaften Baues u. s. w., aus dem Engl. v. S. Th. Sömmering. Berlin 1794. S. 130—133. Dessen Anhang von Dr. Carl Hohnbaum mit Anmerkungen von Sömmering. Berlin 1820. — S. 84., 85., 90. Baillie Engrav. Fasc. 5. Plate II. fig. 1., 2. Plate III. fig. 2., 3.. 1.

multas observationes nobis proposuit simulque symptomata nonnulla, vitam aegrotantium comitantia adjunxit. Accuratius autem Baillie 3) hepatis tubercula exposuit, tabulis optime illustrata, — quorum quatuor enumerat formas; tubera hepatis vulgaria, albida, fusca, scrofulosa. Quae nostro in casu invenimus, partim ad tubera albida, partim ad scrofulosa referenda sunt. Farre 4) quoque in ejus anatomia hepatis pathologica tubera illa tabulis illustravit. Descriptionem pathologico-anatomicam habemus Meckelii 5), qui novam tuberculorum formam tum temporis ignotam descripsit tabulisque illustravit. Recentissimis autem temporibus Sundelin 6) exemplum enarravit.

Quorum virorum optime de sacra nostra arte meritorum studiis, si nostrum opusculum, qualecunque sit subjicere audemus; venia nobis petenda

---

4) Farre J. R. the morbid Anatomy of the Liver. Mit zwei illuminirt. Kupfer. Lond. 1812. gr. 4. Fasc. 1. plat. I.

5) J. F. Meckels Handbuch der menschlichen Anatomie. 4 B. unter d. Anatomie der Leber.
Dessen pathologische Anatomie.
Dessen deutsches Archiv für Physiologie Bd. 1. Stück III. S. 432.

6) Sundelin Carl Dr. 1 Supplementband zu Berends Vorlesungen u. s. w. Berlin 1829. S. 393.

est, si minus accurate minusque docte de nostro argumento disputavimus, contentique erimus, si commilitones mei non prorsus operam et oleum me perdidisse fateantur.

Morbi Historia.

Catharina P. Bonnensis septuaginta annos nata, multis ex annis vidua, parentibus provecta jam aetate morbo ignoto orbata est, et prima juventute, si excipias lenissimos morbos, quibus infantes solent vexari et capitis quaedam exanthemata integerrima erat valetudine. Septemdecim annos natae primi apparuerunt menses, qui inde satis abundantes, typum solitum sequebantur; singulis enim mensibus profluvium incidebat normale; usque ad vitae annum quadragesimum octavum, quo parciores primum, deinde ex toto, organismo integerrimo, cessaverunt. Quinque ediderat foemina infantes sanos. Multos vero per annos tristitia, paupertate, rebus domesticis infaustissimis vexata

erat, neque tamen gravioribus laboravit morbis, excepta febri nervosa, qua circiter annum MDCCCXIV. afficiebatur, qui morbus reconvalescenti magnam reliquit debilitatem. Per ultimum vitae decennium mulier illa crebris capitis doloribus et molestiis abdominalibus laboravit. Februario anni MDCCCXXVIII. subito intra domesticos parietes corruit, de mentis statu dejecta et facultate loquendi orbata est, simul paralysis, quam vocant exstitit, dum convulsiones musculorum sinistrae faciei partis, quibus angulus oris sinister et maxilla inferior sursum deorsumque jactabatur, adspectum praebebant terribilissimum. Qui impetus per horam dimidiam durans originis fuit apoplecticae, nescio an magis nervosae, an sanguineae naturae. Medicus auxilio vocatus remediis adhibitis, de quorum natura et forma nihil compertum habeo, spasmos placavit. Ex hoc tempore hemiplegia imperfecta totius lateris sinistri et paralysis sinistrae faciei partis apparuit, ita ut aegrota, quamvis magna contentione ambulare atque negotia levissima tractare posset. Crebris capitis doloribus laboravit, quibus spasmi clonici sinistrae faciei partis ad quaedam intervalla inordinate recurrentes sequebantur, qui maxillam inferiorem atque angulum oris sinistrum magna cum vehementia sursum deorsumque ferebant, simulque loquelam atque deglutionem impediebant. Tussicula, respiratio anxia

et negotiosa, dolores abdominis, appetitus perturbatus, febriculae post coenam et somnus inquietus, conditionem aegrotae reddiderunt tristissimam. —

Quibus rebus perturbata die XXIV. Septembris, anno MDCCCXXVIII. aegrota Polyclinicum petiit Bonnense, colocynth. praeparat. cum asa foetida mixt. ad convulsiones placandas et ad alvum solvendum, eventu satis prospero accepit, ita ut convulsiones faciei evanescerent. Hemiplegia vero imperfecta in dies crescens, fractae vires, paoxysmi febriles, quotidie semel aut bis iterati, dolores abdominales aegram ita torquebant atque debilitabant ut cogeretur lectum petere. — Die XXIII. Novembris ejusdem anni mulier illa in nosocomium recepta, sub auctoritate et auspiciis professoris Nasse, Clinici Dir. Ill. curanda mihi tradita est. Conditio aegrotae, quam tum temporis examine atque exploratione instituta accuratissima invenire potui, haec fuit:

Primo adspectu omnium maxime, cubitus aegrae singularis in lectulo nostris se praebuit oculis, qui talis fuit, qualem Graeci vocant ὀρθόπνοιαν, ita tamen ut corpus ad latus sinistrum inclinaret. Magna se angi conquesta est dyspnoea, quae cubitu aequo, praecipue autem conversione corporis in dextrum latus, ad suffocationem usque augebatur. Latus thoracis sinistrum in respiratione sese

non movebat, spatia ejus intercostalia, neque impressa neque prominentia locis nonnullis oedemate turgebant. Quod latus percussione a me et pluribus instituta commilitonibus in toto ambitu, sonum dedit fuscum, sicuti cavum aqua repletum, simul strepitus respiratorius plane defuit, ut exploratio cylindro Laennecii facta docuit. Interea tamen latus thorocis dextrum, si spectas motionem, percussionem et strepitum respiratorium erat normale; interdum autem respiratio tussicula et singultu interrupta est. — Integumentis abdominis relaxatis et emaciatis in hypochondrio dextro tumor magnus et durissimus, quo tactu aegra magno dolore afficiebatur, manibus nostris se obtulit, qui margine acuto infra circumscriptus, in superiore parte nullum certum marginem ostendebat, ita ut sub costis a diaphragmate quasi descensus esse videretur; qui denique in respiratione sursum deorsumque descendebat et hac ratione moveri potuit. Superficies hujus tumoris plana, integumentis abdominis proxima protuberantiam quandam opposuit; neque tamen tumor quamquam parietibus vicinus, conjunctus cum illis esse videbatur. Si discedas ab eo, quod de tumore in hypochondrio dextro diximus, accuratius exploranti plures in cavo abdominis tumores, forma atque magnitudine inter se discrepantes, alii superficiei peritonaei quasi adhaerentes, alii profundiores sed mobiles se obtulerunt. Appe-

titus sicuti agnati aegrae affirmabant, olim magna, nunc parva; sitis magna, excretio urinae parcissima, urina ipsa rubra; alvus irregularis, modo obstipata, modo laxa. Facies emacieta in senistra parte paralytica, et colore abdominali, quem vocant, conspicua fuit. Lingua rubra siccitate et asperitate quadam laborabat. — Quod ad extremitates attinet, hemiplegia scilicet imperfecta totius lateris sinistri cum formicationis sensu memoratu digna est. Pulsus mane parvus, debilis, frequens, intermittens, post meridiem et ad vesperam aequalis et irritatus, quia tum temporis aegrota febri lenta cum genarum rubore, siti magna, calore totius corporis adaucto conjuncta afficiebatur. — Corpus aegrotae macie confectum, vires fractae, somnus anxietate, excitatione subitanea et cordis palpitationibus perturbatus, conditio animi tristissima, temperamentum melancholicum, memoria debilis, ceterae animi functiones normales.

Phaenomenis et ex historia morbi et statu jam descripto collatis atque comparatis hanc diagnosin posuimus triplicem:

I. Apoplexia, hemiplegia lateris sinistri, quippe quae ex illa originem ducebat, doloribus capitis una cum spasmis partis faciei sinistrae iteratis perducti, mutationem aliquam cerebri et quidem in ejus hemisphaerio dextro, suspicati sumus.

II. Quod attinet ad pectus, omnia symptomata et antiquissimis et nostris temporibus quasi pathognomonica laudata, hydrothoracem indicabant. Qua autem diagnosi statuta, magna inter utrumque pectoris latus differentia nisi, morbum in sacco pleurae sinistro, collocandum esse censuimus. Diagnosis hydrothoracis symptomatis illis, in historia morbi collatis, ad verisimilitudinem perducta, certior facta est aliis phaenomenis statim enumerandis. Omnium maxime dyspnoea, quae versando corpore ad suffocationem usque augebatur, cubitus aegrae singularis supraque descriptus7), deinde orthopnoea, anxietas et excitationes per noctem subitaneae 8), cordis palpitationibus conjunctae, effusionem in saccum pleurae sinistrum, cujus origo dubius manebat, indicare videbantur.

Accedebant signa illa, quorum alterum ab Auenbruggero 9) in lucem quidem revocatum, sed a ceteris medicis neglectum, deinde a Corvisaro iterum oblivioni ereptum, tandem a Petro Fran-

---

7) J. P. Frank de curandis hominum morbis epitome. Manhemii et Tubingae 1792—1811. lib. VI. pars I. pag. 234.

8) idem lib. VI. pars I. pag. 235.

9) Auenbrugger inventum novum ex percussione thoracis humani ut signo obstrus. intern. pectoris morb. detegend. Vindeb. 1761.

kio 10), et Laenneccio 11) perscrutatum et ad morbos pectoris indagandos adhibitum in praxin viam sibi patefecit: alterum a Laenneccio inventum est sonum dico, illum fuscum, sinistro thorocis latere percusso orientem, et strepitum respiratorium 12) in eodem latere, quem adhibito cylindro Laenneciano, deficere videbamus, quae mihi hydrothoracis vestigia fere certa esse videbantur.

III. Non dubitabimus, quin tumor in hypochondrio dextro, satis descriptus hepar induratum et inflammatum sit, quamquam natura illius degenerationis nos omnino fugiebat. Omnia symptomata, excepto ictero, quem in maximis hepatis degenerationibus, saepius deesse experientia docet indurationem esse talem, qualem P. Frankius 13) descripsit, satis probabant. Ceteri abdominis tumores degenerationes mesenterii et omenti esse videbantur. —

De aetiologia alio loco dicemus. Prognosis

---

10) J. P. Frank l. c. lib. VI. p. I. pag. 238.

11) Traité de l'auscultation mediate et des maladies des poumons et du coeur par R. T. H. Laennec. II. Tom. edition seconde. Paris 1826. Tom. I. chapitre II. pag. 25. — Tom. II. chapitre II. article primier. pag. 230.

12) Tom. II. chapit. II. art. prim. pag. 230.

13) J. P. Frank l. c. lib. II. pag. 278.

infaustissima statuta; aetas aegrotae provecta, degenerationes in abdomine, malum pectoris atque capitis, denique febris hectica: haec omnia aegrotae interitum minabantur. —

Quae cum ita essent, sanitatem quidem, neque arte neque salutari ipsius naturae vi in integrum restitui posse judicabamus, symptomatis autem maxime urgentibus omnem curam esse dandam. —

Primum igitur die XXIV. Novemb., ut dolores, quos ex hepate indurato et inflammato ortos esse videramus, minuerentur cucurbitulae ad regionem hepatis adplicatae sunt, simul propter irritationem ventriculi emulsio data est. Die XXV. dolores hac in regione hepatis mitigatae erant, sed tempore matutino, febris illa cum magna anxietate et dyspnöa conjuncta, rediit; clysma propter alvi constipationem datum sine ullo emolumento rediit; urina parcissima rubra; lingua sicca, aspera; pulsus intermittens; emulsioni parva nitri copia addita. Die proximo post noctem quietam, parva alvi excretio facta, dolores in abdomine prorsus evanuerunt; hisce morbi mutationibus exceptis, status idem; igitur kal. acet., quod et diureticam vim et antiphlogisticam exerceret, datum est. — Die XXVII. febris effugit; in urina sedimentum puriforme sese ostendit, simul autem aegrota magna respirationis difficultate angebatur, ita ut semper

clamando aerem peteret; simul tussicula et doloribus capitis vexabatur. Alvus semper obstructa, quam ob rem clysma dari imperatum est. Noctem sequentem peregit aegrota inquietissima. Sequente vero die fugatis omnibus et febris et inflammationis symptomatis, circa vesperam hora quinta, nescio qua ex causa, convulsiones paralyticae faciei partis sinistrae bis redierunt, quibus angulus oris sinister et maxilla inferior sursum deorsumque agitabatur. Singuli convulsionum paroxysmi partem sexagesimam horae durabant et cum difficultate et loquendi et deglutiendi conjuncti erant; conscientia tamen perturbata non erat. Cum autem aegrota in dies magis viribus deficeretur, attamen propter inflammationem semper redientem et ventriculi debilitatem tonica indicata non essent, kal. acet. nonnullum spr. muriat aeth. additum est. Proximis diebus nihil mutatum, quamquam convulsiones non redibant, abdomen tumidum fuit, alvus bis deponebatur, dolores capitis cum orthopnoea aegrotam cruciabant. In remediis per aliquot dies nihil mutatum, nisi quod die II. Decembr. propter decubitum circa os sacrum imminentem lotiones aq. satur. imperabantur. Die III—IV. somnus anxietate, cordis palpitationibus interpellabatur, ita ut aegrota saepe excitaretur et spiritum se deficere quereretur. Pulsus erat debilissimus et intermittebat, lingua aphthis tecta fuit,

alvus continuo obstructa, clysma hanc ob causam applicatum nihil effecit, ex quo rheum datum est et ad aphthas linguae leniendas linimentum ex acid. muriat. et mell. depurat. compositum, simul propter magnam debilitatem spr. muriat. aeth. ad gutt. X. secunda quaque hora praescriptum est. Proximo autem die alvo soluto, rheum rejiciebatur. Proximis diebus status idem. Die IX. autem dolores in abdomine redierunt; abdomen ipsum tumidum. Excretio alvi et urinae parcissima, appetitus defuit, lingua aphthis ruptis tecta, ab omni medicina interna abstinuimus et solummodo linimentum borac. cum mell. depurat. compositum, ad linguam leniendam adhibitum est. Die X. initia faciei hippocraticae apparuerunt. Respiratio difficillima, brevis et frequens, orthopnoea, atque dyspnoea ad suffocationem usque, tussis sicca, anxietas, inquies, functiones abdominis omnino perturbatae, conditionem aegrotantis reddiderunt tristissimam, pulsus male mutatus, manus et pedes frigidi oedema brachii pedisque sinistri incipiens mortis imminentis erant indicia. Die sequente haec symptomata creverunt, simul difficultas loquendi et deglutiendi advenit. Die XII. facies hippocratica omnibus terribilissimis apparuit symptomatis, aegrota soporosa jacebat et excitata mentis compos videbatur, sed sermones faciebat murmurantes, ita ut crederemus linguam esse paralyticam; respiratio fuit dif-

ficillima, functiones abdominis prorsus perturbatae videbantur. Sudores frigidi, pulsus vermicularis, vires fractae, dejectio tegumentorum, recusatio omnium medicaminum, extremitates denique frigidae et tumidae mortem indicabant. Paulo post aegrota sine ullo alio phaenomeno terribili mentis omnino compos ad vesperam hujus diei circa horam sextam vita decessit.

Sectio Cadaveris.

Cadaver haec externa praebuit phaenomena: corpus macie confectum, color cutis subflavus, abdomen collapsum, extremitates inferiores usque ad crurum medium oedemate turgebant. Sectio ipsa triginta horas post mortem instituta haec dedit:

Cranio resecto, dura meninge incisa et revoluta, in illius superficie interna magis ad dextram superioremque partem, parvam coagulati sanguinis copiam invenimus; deinde in superficie ipsius cerebri tumor in conspectum prodiit, qui aliquantulum imminebat, qui inter arachnoideam piamque matrem ortus, mediam superioremque hemisphaerii dextri obtinebat partem. Cujus superficies externa,

secundum ossa cranii conformata, sed nullo modo durae matri adhaerens, vasis rubro sanguine repletis distincta, formam praebuit irregularem, liniis arcuatam curvis, maxime ad figuram trianguli spectantem, colore vero albido. Diameter illius maximus duos transversos aequabat digitos, minimus unum et dimidium. Incisione tumoris perpendiculari facta, luculenter apparuit, illum inter arachnoideam et piam matrem positum utrique membranae affixum esse et cum pia matre, vasis sanguiferis uberrima, quasi parasitam harum membranarum tendere ejusque gyros comprimere. Tumor ipse durior erat, quam substantia cerebri medullaris, cui erat simillima. Ejus circuitus lobulos inter se conjunctos praebebat, media autem trium aut quatuor linearum massa erat homogena. Accuratissima tumoris exploratione nullum vasorum, quae per ipsum reperent vestigium, inveniri potuit. Ceterae cerebri partes normales, si excipias originem arteriae basilaris ossificatam atque sanguine nigro repletam. —

Thorace aperto in sacco pleurae sinistro magnam serosi fuscique fluidi copiam invenimus; pleuram ipsam per totum ambitum induratam, nonnullis autem locis rubefactam, tectamque magna copia durorum, sed leniter prominentium tuberculorum,

quae a Laenneccio 14) jam satis accurate descripta sunt. Pulmo sinister usque ad volumen pugilli compressus in superiorem posterioremque thoracis partem sinistram ad columnam vertebralem, pleura crassefacta atque pseudoligamentis firmissimis ita alligatus fuit, ut nisi ope cultri evelli non posset. Substantia pulmonis hepatisata, vasa ejus et sanguifera et aerifera quasi clausa. Cor et pericardium, pleura dextra et pulmo ne vestigium quidem degenerationis ostenderunt. —

Ad abdomen denique conversi haec invenimus memoranda. Hepar in molem ingentem increverat, late infra costasse extendebat, ita ut universum hypochondrium dextrum et proximae regionis partem expleret, ejusque nimia magnitudo in omnium oculos statim incurreret. Superficies hepatis convexa subfusco albidoque colore, plures praebuit protuberantias, quae albicantes, vasis sanguine rubro plenis quasi rete circumdatae per serosam hepatis membranam pellucebant. Qui tumores praecipue in inferiori lobuli sinistri parte et ad marginem hepatis posteriorem ita cumulati erant, ut tumor magnus parvulis circumdaretur tumoribus. Similes tumores ex convexa hepatis facie aut aggregati aut singuli prominebant. Hepar ipsum durius, quam solet esse, tactu et incisionibus cultro hac

---

14) Laennec l. c. Tom. II. pag. 366. — 367. — 368.

et illac factis animadvertebamus. Ex quo apparuit substantiam hepatis esse sanam, sed intus tuberis albicantibus varia magnitudine ubique distinctum, ex quibus ea, quae superficiei erant proxima, protuberantias illas, supra descriptas conformabant. Hi tumores igitur, quorum maximi ovid columbini, minimi ciceris magnitudinem aequabant et forma erant rotunda, hepatis substantiae inserti ejusque telam leviter circumdati erant, ut quam facillime digito elevari possent; alii caseosam, alii spongiosam cum textura cellulosa offerebant materiam et cavum includebant parvulum; alii similitudinem offerebant tuberculorum, quae Cl. Baillie 15) albida hepatis tubera vocat, alii eorum, quae idem auctor scrofulosa 16) nominat et ab illo ipso 17) melius autem a Farre 18) tabulis illustrata sunt. Omnes autem tumores colore albido erant, neque ullum vestigium vasorum, quae intrarent,

---

15) Baillie Anatomie des krankhaften Baues u. s. w. aus dem Engl. t. Zusätzen v. S. Th. Sommering. Berlin 1794. S. 131.

16) S. 133.

17) Baillie A Series of Engravings, accompanied with Emplanations, intended to illustrate The Morbid Anatomy of some of the most important Parts of the Human Body. The second Edition, in One large Volume Jmperial 4to London 1818. Fasc. 5. Plate III. fig. 2. fig. 3 fig. 1.

18) J. B. Farre the morbid Anatomy of the Liver. mit zwei illuminirten Kupf. Lond. 1812. gr. 4. Fasc. 1. Pl. 1.

repericbatur; neque sanguinis vestigium in tumoribus illis invenimus, ut Meckelius 19) descripsit tabulisque illustravit. Mutatio vesicae felleae animadversione dignissima talis fuit, qualem morbum ejus hydropicum solent vocare. Qui morbus notus quidem, sed non satis exploratus, haud raro occurrit, et nostris temporibus in dissertatione Heidelbergensi aliisque locis accuratius descriptus est. Mensura vesicae felleae instituta has dedit rationes: Longitudinem septem digitos transversos, latitudinem duos vel tres.

Incisione facta effluerunt unc. sex fluidi turbidi serosique, et calculi septemdecim prodierunt fellei, forma atque magnitudine fere aequales, colore ex flavo et viridi mixto; quod ad figuram calculorum attinet, cubi formam maxime accidebat.

Ceterum ductus cysticus obliteratus et ubi in vesicam intrat, in materiam mutatus fuit cartilaginosam. Membranas vesicae crassiores factas invenimus, membrana intima erat glabra.

De reliquis abdominis partibus haec habeo, quae dicam: Colon tranversum vesicae felleae annexum, omentum majus in massam durissmam, tuberculosam, fuscam et vasis nonnullis circumdatam erat degeneratum. In peritonaeo per totum ejus ambi-

---

19) J. F. Meckels deutsches Archiv. Bd. I. Hf. III. S. 432.

tum invenimus tumores, similes iis, quos in pleura sinistra repertos descripsimus, a Baron tubercula peritonoaci vocatos. Glandulae mesenterii tumefactae, sicut in infantibus scrofulosis esse solent, vasis sanguiferis circumdatae et quasi accumulatae magnos formabant tumores, magnitudine pugilli, forma irregulari, colore subfusco. Cetera abdominis organa invenimus normalia. —

Epicrisis.

Si morborum symptomata, quae aegrota viva animadvertebamus, cum iis indiciis, quae ex ipso cadavere aperto atque dissecato redundabant, comparamus, non dubitandum est, quin ea, quae ad cerebrum spectant phaenomena, ad tumorem illum inter arachnoideam et piam matrem situm, supraque accuratius descriptum, de cuius autem natura alio loco disputabimus, referanda sint. Verisimillimum autem mihi visum est, hunc tumorem telam accidentalem sive parasitam ex utraque membrana ortam, quasi ex hepate degenerato fluxisse; quod fieri posse multorum VV. DD. observationibus probatum est. Qui tumor primo quidem tempore,

nihil nisi illos capitis dolores saepe iteratos effecit, denique autem major factus et irritatus apoplexiam et inde hemiplegiam totius lateris sinistri et convulsiones procreavit. Sectio ipsa hanc probavit sententiam; etenim magna vasorum sanguine rubro turgentium ubertas in ambitu tumoris et extravasatum supra commemoratum inflammationem aut irritationem indicabant, et fortasse ipsae convulsiones et dolores capitis in ultimis vitae diebus inde originem ducebant; nescio enim qua ratione alia explicari possit convulsiones atque capitis dolores, tumore manente, evanuisse. Hemiplegiam lateris sinistri inde originem duxisse nemo dubitabit; nam multi scriptores vitiis cerebri unius lateris saepissime extremitatum alterius oppositi lateris succedere censuerunt. Quae quidem sententia multis probata est sectionibus et antiquissimis et nostris temporibus, quorum magnum numerum apud Morgagnium aliosque enumeratum videbis 20).

Cavo thoracis aperto, luculenter apparuit, morbi pectoris diagnosin bonis superstructam fuisse principiis, omniaque illa symptomata ad pectus spectantia et in morbi historia ennmerata, ex hydro-

20) Morgagni de sedibus et caus. morb. I. 82 — 83. Hallerus elementa physiolg. T. IV. p. 221 a. l. Bnrserius de Kanilfeld institut. medicae practic. edit Hecker. Lipsiae. MDCCCXXVI. Tom. III. pag. 62.

thorace, quem sectio ipsa ostendebat, originem duxisse. —

Ad abdomen denique descendetes, tumorem illum in hypochondrio dextro, hepar fuisse non solum induratum, sed degeneratum statim omnes intelligimus. Ceteri autem tumores in abdomine degenerationes omenti atque glandularum mesenterii fuere. Rubra hepatis superficies convexa perspicue indicabat, hepar sedem atque focum phaenomenorum inflamationis in abdomine saepe iteratorum fuisse. Si autem historiam decursumque morbi consideramus, non dubitandum est, quin molestiae abdominales, appetitus olim magnus, in ultimis autem vitae diebus depravatus, alvi irregularitas, color faciei abdominalis, macies et febris hectica, functionumque perturbatio: haec omnia partim ex hepate degenerato partim e glandulis degeneratis sint derivanda.

De mortis causa multum disputari licet. Illi morbi cerebri, pectoris et abdominis singuli aegrotae nostrae mortem efficere vix potuisse videntur; quamquam enim abdominis degenerationes primariae mortis causae fuere, tamen provectae aetati reliquisque morbis haud parvam vim tribuendam esse affirmaverim.

Hisce omnibus expositis non superfluum esse videtur, quae ex his morbis modo descriptis, ad diagnosin statuendam adjuvare possit, comemorari.

Primum elucet, hemiplegiam post apoplexiam ortam, haud raro ex mutatione aliqua cerebri et plerumque in hemisphaerio, parti paralyticae opposito, effectam esse, sicuti multis ex observationibus docti scimus 21). Denique historia huius morbi observationibus illis Morgagnii aliorum addi et argumento esse potest sententiae illi Burserii 22), qui, si continui capitis dolores ex aliorum corporis partium morbis orti esse non possunt, vitia cerebri organica esse jubet suspicari. Simili modo ex nostro casu derivare licet, magnas in cerebro sana mente existere posse degenerationes. Nam aegra nostra, si excipias memoriam debilitatam, quam ad illius senectutem referre possumus, per totum morbi decursum ad mortem usque nulla mentis perturbatae symptomata protulit neque deliravit.

Effusio in sacco pleurae siuistro luculenter declarat hydrothoracem raro idiopathicum, sed plerumque symptomaticum esse, quod nostris temporibus Laennecius 23) exposuit atque multis probavit exemplis. Ex quo sequitur paracentesin totum morbum sublevare non posse.

Deinde extremitatum aut aliorum corporis partium oedema, quod nonnulli medici hydrotho-

---

21) Morgagni l. c.

22) Burserii inst. med. pract. l. c. T. III. pag. 41.

23) Laennec. l. c. T. II. pag. 235.

racis signum judicant, P. Frankius 24) autem merito incertum esse affirmat, minimi momenti esse, manifestum est; in aegrota enim nostra hoc symptoma duobus diebus antequam demortua est exstitit.—

Denique animadvertas icterum, hepatis atque vesicae felleae morbos non semper sequi, sed interdum nihil nisi colorem abdominalem eius locum obtinere. —

Omnibus hisce expositis restat, ut de natura atque aetiologia degenerationum cerebri, thoracis et abdominis disseramus. —

Primum omnes illas degenerationes ex diathesi tuberculosa ortas esse credo. Quamquam tuberculorum sedes et quasi focus pulmones sunt, et inde in alia transeunt organa, attamen interdum, quod jam Laenneccius 25) vidit, primaria in aliis organis existere possunt. Meditantibus enim nobis historiam morbi atque ea, quae e cadaveris sectione apparuit, verisimillimum est, hepar organon fuisse primum affectum et deinde in aliis organis exstitisse parasitas. Attamem memoratu dignissimum est, in membranis serosis praecipue telas illas accidentales quasi exanthemata effloruisse. Respicientes autem causam, quae tubercula intulerit foeminae, cuius historiam exposui, nullam invenimus certam,

---

24) P. Frank. l. c. libr. VI. pars. l. pag. 234.

25) Laennec. l. c. Tom. l. pag. 538—557.

ex quo cogimur propriam defendere diathesin, quam tristitia fortasse, curae domesticae et totum vitae genus, quae omnia magnam vim in diathesin illam atque hepar exercere plures auctores affirmant, in lucem vocarunt. Sunt, qui doceant morbum scrofulosum, tuberculorum hepatis esse causam. Aegrotam nostram scrofulis laborasse, neque affirmaverim, neque negaverim, nisi exanthemata capitis, quibus puella laboravit et tumores glandularum mesenterii suspicari posse credas.

Restat, ut de causa aliorum morborum pauca moneam. Primum hydrothoracem ex degeneratione pleurae tuberculosa ortam esse non dubitandum est 26). Febrem hecticam ex hepatis et glandularum mesenterii degeneratione tuberculosa, quod idem in pulmonibus tuberculosis solet fieri, originem duxisse, manifestum est.

---

26. Laennec. l. c. Tom. II. Pag. 368.

Vitae curriculum.

Ego Guilelmus van Werden, confessione addictus catholicae, Düsseldorpii natus sum die XIV Novembris anno MDCCCIV; patrem veneror Henricum van Werden, matrem Margaretham Esser, qui adhuc superstites Düsseldorpii versantur. Primis litteris imbutus, gymnasium urbis patriae, rectoribus Kortuemio et Brüggemanno, clarissimis viris, per octo annorum spatium frequentavi, omnibusque, quae ibi docentur, litterarum partibus operam dedi. Quibus autem litterarum elementis in Gymnasio supra nominato institutus, examine solenni in ipsa schola superato et testimonio maturitatis (No. II.) accepto, arti medendi operam navare et hanc ob causam in almam universitatem Borussicam Rhenanam me conferre statui. Ubi Rectore Magnifico V. C. Hasse, Decano A. Mayer die XXII. Octobris, anno MDCCCXXV. civium academicorum numero adscriptus, per septem semestria temporis spatia, praelectionibus professorum et Philosophici et Medici Ordinis clarissimorum frui mihi contigit.

Ex philosophorum ordine mihi tradiderunt, chemiam experimentalem Cl. G. Bischoff; physicen experimentalem Cl. v. Münchow: psychologiam et logicam Cl. van Calker; zoologiam Cl. Goldfuss; mineralogiam Cl. Nöggerath; botanicen generalem et pharmaceuticam Cl. Cl. Nees ab Essenbeck senior et junior.

De arte medica audivi has lectiones: Encyclopaediam et methodologiam artis medicae, physiologiam, pathologiam generalem atque semioticen specialem duce Cl. Müller; osteologiam et syndesmologiam, anatomiam generalem itemque anatomiam comparatam mihi tradidit Cl. Weber; anatomiam specialem Cl. Mayer; in arte cadavera dissecandi duces mihi fuerunt Cl. Cl. Mayer et Weber; materiam medicam, artem formulas concinnandi et medicinam forensem mihi exposuit Cl. E. Bischoff; pathologiam et therapiam specialem et generalem, semioticen specialem et animi morbos mihi tradidit Ill. Nasse; idem per annum me duxit in exercitationibus clinicis et pathologicis et medicis; de fracturis et luxationibus, de chirurgia, morbis oculi, doctrina de fasciis applicandis, de institutionibus acinrgicis usus sum duce Ill. a. Walther; idem per annum unum et demidium exercitationes meas clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas moderavit; de arte vero obstetricia et de instrumentis ejusdem artis disserentem audivi virum Cl. Kilian; idem in operatio-

nibus obstetriciis in machina, quam phantoma vocant et in institutionibus clinicis obstetriciis me duxit.

Bonna relicta in almam litterarum universitatem Berolinensem profectus, Rectore Ill. Klenze, Decano Ill. Bartels die IX. Maji anni MDCCCXXIX. in civium academicorum numerum receptus, institutionibus atque exercitationibus et medicis et chirurgicis Cliniciorum virorum celeberrimorum Ill. Bartels, Ill. de Graefe et Ill. Rust.

Quibus omnibus viris clarissimis atque illustrissimis gratias ago quam maximas, et si quid est in me doctrinae, hanc praesertim illis debere, animo probo gratoque, dum spiro, confiteri non desinam.

Jam vero tentamine philosophico Bonnae, eodemque medico atque examine rigoroso Berolini absolutis, spero fore, ut, dissertatione publice defensa, summi utriusque medicinae honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I. Nullum graviditatis signum certum.

II. Cephalalgia haud raro signum est morb. organicorum cerebri.

III. Opium somnum non directe provocat.

IV. Inflammatio per se chronica esse non potest, sed accedit semper aliquid, quod eam chronicam reddit.

V. Gangraena etiam finita interdum operationem indicat.

VI. Febris nervosa interdum symptomatica.